

7

I L L V S T R I S S I M O,  
R E V E R E N D I S S I M O, A C  
generosissimo Domino Decio Garrafa, Archiepiscopo  
Damasceno, Sanctissimi Patris Pauli Quinti in His-  
paniarum regnis Nuntio meritissimo, Doctor  
Luna Hispalensis Medicus, salutem  
ac æternam foeliciratem  
impertitur.

**G** R A S S A T V R I A M D I V  
(Illustrissime Princeps) apud nos, &  
(vt audio) vbiq; gētium, Morbus gra-  
uissimus (vulgo dolor de el costado)  
Pleuritis medicis, ita crudelis, & assi-  
dua, siue vt cum Astrologis loquamur, ob Martis, satur-  
niq; Dominium, siue cum medica arte, ob Aquilonis  
(à quo sapiens omne malum præfagit) cōstitutionem per-  
petuam, siue potius ob nostrorum flagitiorū suppliciū,  
vt maximam mundi partem deuoret. Hæc olim, aliquā  
do hyemis frigida, siccaq; tēpestare, mortalibus maxi-  
mum timorem incutiēbat, modo vero domestica fera,  
ac intestinalis (quam fugere nulli licet) hostis, hospes  
est reddita. Illa est, circa quam Hippocrates, & Gale-  
nus, & omnes alij hos, in hanc vsq; diem scribentes, in  
normam, & exemplum aliarum grauissimarum, acuta-  
rumq; ægritudinum se se, & alios exercuerunt. Pro hu-  
ius sedula, artificiosa, ex actaq; curatione, iam dicti  
Heroes, *Statim, atque in principio, lateris dolere affecti  
venas scindendas docent, semper, & constantissime: ii-  
demque manifestissime oppositi lateris venas contemnunt,  
atque re citra affectum, & vt decet, in spectâ, damna-  
runt.* Sed cum non fuerit vnquam sententia, aut  
opinio quantumvis absurda, ac dissona, quæ suos patro  
§ nos

nos non fuerit sortita, prout etiam hominum ingenia variant, & sæpius homo homini lupus extiterit. Siue ob inuidiam, medicorum (Iuxta Petri Apponenſis conſiliatoris dictum) morbum, ſiue ob arrogantiam, ſapientiamve falſo uſurpatam, paſſim, poſteri lepores, & leonibus mortuis inſultent, & ignaui multi haruam ualentiffimorum auctorum euellere conati ſunt.

1. acut. 44.

2. de inuent.  
dialect. c. 1.

Nam, bone Deus, quam paucos inuenias artium primis conditoribus fideles diſcipulos, ne diſcipulos dicam. Nam uelle interpretari, & de antiquis uelle bene mereri, ex olētū eſt, vnusquiſq; per ſe opinari, ſui juris, duxq; eſſe præſumit: quamuis proclamet Galenus in tales, dicens. *At potius culpa eos, qui cum ea, quæ ab Hippocrate bene præcepta ſunt, elaborare, atque conficere deberent, laudis appetentia ducti aliam ſectam conſtituunt. Verum nos qui ueritatem honoramus.* Hæc ille, ſed neq; ſolus, immo multo magis, atque undiquaq;, ſtudia noſtri æui iacentia, Rhodolphus Agricola cæleberrimus uir deplorabat, dum ſcripſit. *Nec quidquam ferme diſcatur ſuo loco, & tempore. Sic iuriſconſulti perplexa, & inuoluta diſputandi præcepta balbutiunt. Sic medicinae ſtudia magna ex parte redacta ſunt, ad ſuperuacuas ex inſtituto ſuo phificas quaſtiones. De Theologia uero quid dicere oportet? cui ſi methaphificam, ſi phificam, ſi dialecticam demas, hodie nudam porro, & deſtitutam, & quæ nomen ſuum tueri nequeat, reddas.* Hactenus Rodolphus. Stylū tamen reprimam, ſtriçtiſſimus eſt locus, & hæc grandem declamationem ex poſtulant. Et ut ad inſtitutū. Auicennas, quiſquis is fuerit, Galeno in numeris annis poſterior, operum illius aggregator, cui maior fuerit gloria, & laus, ſe eſſe Galeni interpretem. Ita è diametro) Interpretem attende) contradictor fuit, in pleuritis uenis ſecandis à principio (præcipuo uenæ ſectio- nis tempore, opportuniſſimo, & ut credo, unico) ut nō dubitauerit (ſi is fecit nec ab aliquo interjectū ſit) ſcribere

here, Prius, remotissimas in pede venas, deinde oppositi  
bracchij, tandemque ad latus dolore affectum descenden-  
dum, quam rem, si recte inspiciamus, dedita opera,  
& præ inuidia factâ, credere est æquum, nam nulla duci-  
tur ratione, & si distantiore posset inuenire partem,  
(vt Galeno opponeretur) euidenter inertissimè, in ar-  
tificiosissimèq; elegisset. Præualuit hæc hæresis, sarra-  
cenaq; praxis quam diu (vt nuper scripsi latius) in hac,  
alijsq; regionibus, Hippocrates, & Galenus artis Appol-  
lineæ luminaria, latine loqui visi sunt, statim enim cum  
nece, pernitieq; Avicenistarum salutaris sententia, ve-  
ritasq; libentissime accepta; quam iam, & barbari reli-  
qui amplexi suunt, qui disciplinabiles supererant, hono-  
ris gratia conantur quidam Auicénam exponere, illius  
vero doctrinam exercere nullus, donec elapsis diebus,  
nescio quorum malofato, ex leui quadam contentione  
ab inferis ignorantia (sub specie tamen scientia osten-  
tationisq;) methodus deprauata, a quodam medico ad-  
huc adolescente, sicq; in vtraq; via parum, aut nihil ex-  
perto, resuscitata est. Tenelloque adhuc, cui illa Ap-  
pollinis pijsima carmina ad Phaetontē filium mirum  
in mobum quadrant.

*Magna petis Phaeton, & quæ non viribus estis  
Munera conueniunt, nec tam puerilibus annis.*

2. metamor-  
phos.

Et illud etiam eiusdem, de Icaro præcipiti.

*Icarus Icaris nomina fecit aquis.*

De arte am.

Quod pulchre Andreas Alciatus, in Astrologos al-  
taq; petentes imitatur. Sed ignorat quod bos lassus fortius fi-  
get pedme scribente Diuo Hieronymo.

130

Cui æqualium consilia, seniorum exhortationes,  
amicorum præces, superiorum, iudicumq; minæ non  
suffecerunt, ad assertionis publicas procedit, argu-  
mentis vrgetur, & ne amplissimum virum in hisce  
remorer, lacepsitus Auicena sententiam, suo maximo

§ 2 malo

malo, tutari typis conatur, atq; ex alieno sudore omnia, Auicenam Hippocrati, & Galeno conciliat, Hæreticorum more, diuinam paginam caute admittentium, attamen suis nefandis conceptibus adaptantium, tunc obuiam illi ab doctissimis quibusq; itur, atq; typis etiã, ego vero nullam in illo agnoscens correctionem, ne malũ diutius serperet, atque à discipulis exerceretur, salutis huius ciuitatis, scholasticorũq; boni prouidus, aduersus Apocrypham in Hippocratem, Galenumque, pro Hippocrate Galenoq; enarrationẽ falsam, falsoq; adductã, nouum quam primũ discursum edidi, qualẽ, & qualiter me in ipso gesserim, quã plurimi sunt iudices, Romani enim professores, veneti, Neapolitani, Parisiẽsesq;, vt nostrates Academici, atq; Archiatri nostri viderunt, honorantq;. Perstat tamen proteruia, atque, vt plebeculæ medicæ satisfaceret, me nouatorẽ respõdet. Atq; vt ait comicus de exclusionẽ, ita ille cæterum de deriuatione Galeni, idest de interpretatione, quæ est illius, & barborum subterfugium, verbum nullum, vnde quia tacet, quod attinet ad deriuationem invito Galeno impositam, tacite etiam consentire, & manus victas dare conuincitur. Videtur tandẽ sententiam meã, circa venæ sectionem, in imminente pleuritide petere, & cum illa vtinam illum lucrifaciam Christo, timeo tamen. *Nam quod cantaber semel assumpsit, nunquam dimisit, sed Deo adiuuante, futurum confido.* Is enim hætenus credit, sicq; docet tuetur, & exercet, ita morbum aliquem, iãq; præsentẽ, curandũ: sicuti multo post futurus, atq; tempore verno anticipatur, atq; quibusdã hinc, indeq; cõgestis ambagibus, tota errat medicina, cum tamẽ oppositum demonstraui ex veterrimis, recentioribusq; medicis, in grauissimis præcipuè, acutissimisq; morbis. Rem fateor arduam, & cui fortasse, ex professo ex nostris nullus calamũ admouit, sicq; forsan ego primº inter:

Hispa-

Hispanos, sed neq; id temere factum, opusculum ostendit. Vetustate erat doctrina (vt & alia multæ ob negligentiam vt supra tetigi in colendo Galenum) in illius documētis sepulta, à reliquijs fæcis arabicæ, barbarisq; ignorata, nec quæsitæ, si enim in præsentī morbo, iâque pleuritide, cum barbaro duce venas distantissimas secabant, atque talem, tantūq; absurdū pro fide medica habebant, quomodo illorū mētes capere possent (neq; si inuenissent, legissentq;) intelligere, in incipienti, in imminentiq; pleuritide (ob imminētē magnitudinē) societatem venarum seruandam, atque anteuertentem venæ sectionem, melius multo quam in præsentia morborum, exercendam. *Longissimè ab illorum miseris iuditijs istud documentum aberat, quo nihil vtilius, nullum inquam æquale in nostra arte est, sicq; semperque, adhuc valetudinarios, & consueta agentes opera, in morbos ipsos incidere, & ægrotos iam in mortem immedicabiliter lapsuros expectabant, quibus duobus quæ æqualia potuerunt vnquam concipi mala? Si igitur probauerim, imminētē quemcūq; morbū grauem, veluti etiā pleuritidem, cū inquā imminet pleuritis, Petro. V.g. (quod ex tali anni tempore, consuetoq;, in cœlo pleuritidum feraci, ex morbo vaganti, ex descendenti fluxione, vel catharro, à capite scilicet per thoracem aut omoplatas, atque alijs præludiis apræstantibus medicis scriptis, atque à solertibus artificibus (vt à bonis nautis à nubeculis longè prospectis) atque ex conquerentibus ægrotantibus, lassitudinesq; spontaneas causantibus, alijsq; malis prænuntijs monitis, venam lateris dolentis scindendam, ante morbum præsentē, atq; si suis stent dogmatibus, prædictos artis nostræ patres scidisse, in confesso erit, & nulli dubium, in præsentī pleuritide, citra controuersiam, seruandam societatem Galenicam, superfluum per tot annorum sæcula (centena inquam*  
multa

multa) quæstionem fuisse, dubioque omnino caren-  
tem. Ac per consequens Avicenæ in pleuritide senten-  
tiam, cunctas pestes superasse. Atque hoc est (dig-  
nissime præsul) opusculi assumptum. Nec vero quæ-  
quam fore sapientem hominem credo, qui dubitet,  
hos labores principibus, magnatibusque consecrâdos,  
illos enim D. O. M. insignissimos, cæterisque præ-  
stantiores, inter mediocres constituit, ad quos acce-  
dere, quorum umbra tegi, necessarium, utileque ex-  
perientia docuit. Nam sicuti herba mollis, paruaque  
velutj hædera, nisi palmæ procerissimæ, alicui ve ar-  
bori insigni jungatur, nunquam vigebit, neque è  
humo extolletur (nam alias serpet, semper atque à  
cœli inclementijs, alijsque injurijs tandem succum-  
bet) sic similiter studiosi, studiosorumq; vigiliæ, ni  
adsint patroni, quod & elegans scripsit Paeta sic.

*Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones.*

Coelum etiam principes, Ecclesiasticos præsertim  
veluti quædam asila, sacraque templa fecit, in quæ ho-  
mines studiosi, se suaque opera, tanquam ad sacram  
anchoram recipiant. Quemadmodum igitur quon-  
dam Romæ, ad templa, libri, laboresque defereban-  
tur, vnde fur quidam aduersus quem Horatius.

*l. epist. 3. ad  
juliū florū*

*Quid mihi celsus agit monitus multumq; monendus,  
Privatas vt quærat opes, & tangere vitet  
Scripta, palatinus quæcumq; recepit Appollo.*

Vbi etiam (proh dolor) ex maximo illo incendio o-  
pera plurima Galeni concremata scimus, quorum a-  
missio Galeni artem, procul dubio in multis man-  
tam reddidit. Sic etiam ad principes tanquam ad sa-  
craria,

craria, lucubrationes necessario sunt deferendæ. Cur vero tuam elegerim præstantiam, si quis inquirat, id grato meo animo (*cujus Cicerone teste est, illi cui plurimum debeas, velle magis debere*)tribuendum venit. Cum enim præteritis diebus, de tua valetudine tuenda, deq; ijs accidentibus, quæ maximos viros, maximisque curis deditos, exercitijs ob angustiam temporis carentes, veluti ecclesiæ columnas, regnorum, rerumq; publicarû vigilantissimos custodes frequenter inuadere solent, non exiguo honore me afficiens, consulueris, qua in prouincia meis humeris impari me plusquam potuerim, præstitisse est certum, quandoquidem amicos sedulos, doctissimeque medicinam facientes vocavi in partem laboris, curarumque, atque socios habui diligentissimos. Quod manusculum hylari fronte te accepisse est certum, quod & sigillum testatur & litteræ. Ob hæc igitur in animum induxi meum, intrepide quem (si per assidua ægrorum, munerisque officia liceret) ferens, offerensque ad tuos pedes nouum secundum discursum, ad te mittere, quo sub vmbra alarum tuarum protegatur, & vbique sub tanto patrono legatur. Siquidem in totius orbis plagis susceptus, veneratusque fuisti, & nunc susciperis, & veneraris. Nam in illis omnibus legati à summis Pontificibus, legalissimi officio functus es. Sacerrimæ enim, res & maxime feriæ, non nisi sacris, serijsque viris commituntur, atque ijs, qui statim ad summum pontificatum promouendi sunt. Vt pote quibus diuina arcana communicantur, & qui denique talium experientiam habeant. Quod si vt vulgo dicitur, ex præteritorû in spectatione, possunt futura præsciri, liceat mihi citissime tibi Diui Petri clauas prænuntiare. Si enim retroactis tot temporibus, inclytæ atque antiquæ genti Garrafæ gubernacula, fidei nostræ dedit, non sine mysterio. Garrafa enim,  
idem

idem est quod, chara fides, dante sic diuina misericordia, in tuis humoris videor iam videre Ecclesiam Catholicam, Romanamque. Hic campus latus tuarum laudum se offerebat, cui muneri nec Demosthenes quidem sufficeret. Patere tamen obsecro, vt pro breui discursu, te æquissimum iudicem efferam, litterarum thesaurum. Exoptabam, pietatem tuam singularem laudare, continuo aderat, religio, si religionem magnanimitas, si magnanimitatem liberalitas, si liberalitatem animi candor, atque hac in re, quod est contra philosophos, in infinitum est procedendum, maximeque obtenuerit meum ingenium, *Nam materias grandes non sustinet*, Strictissimamque locum, orationi vela contraham; plurimumque Vale. Hispali postrema Septembris, anni prædicti.

Illustrissimæ ac Reuerendissimæ  
Generosissimæq; Dominationis  
tuæ obseruantissimus. Doctor  
Luna dum vixerit.